

dulâ abrade; tum singula pistillo ligneo con-
runde in mortario marmoreo, primùm per se,
deinde cum sacchari purissimi triplo pondere,
donec optimè misceantur.

CONSERVA FRUCTUS CYNOSBATI.

℞. Pulpæ fructûs cynosbati maturi p. libram
unam, Sacchari purissimi P. uncias viginti.

MISCEANTUR, ut fiat conserva.

CONSERVA PRUNORUM SILVESTRIUM.

PRUNA in aquam immisâ super ignem im-
pone, ut mollescant, cautione adhibitâ, ne
rumpantur; dein, exemptis ex aquâ prunis,
pulpam exprime, et triplo pondere sacchari pu-
rissimi misce.

CONDITA.

RADIX ERYNGH CONDITA.

RADICES coque, donec cortex facîle au-
ferri possit; tum, eo ablato, per medium scin-
dantur radices, & medullâ exemptâ, ter
quaterve aquâ frigidâ abluantur: deinde in sin-
gulas radicum libras accipe sacchari purissimi li-
bras duas; quod aquâ liquatum igni impone,
& cum primùm bullire incipit, injice radices,
& coque, donec tenerescant.

EODEM modo condiuntur Angelicæ caules.

COR-

CORTEX AURANTIORUM CONDITUS.

CORTICES aurantium Hispalensium recentes in aquâ sæpius mutatâ macera, ut amaritudinem dimittant; tum coque cum saccharo purissimo aquâ liquato, donec teneri & pellucidi fiant.

EODEM modo condiuntur Limonum cortices.

S U C C I.

SUCCI SCORBUTICI.

℞. Succus Cochleariæ hortenſis M. libras duas,
Becabungæ,
Nasturtii aquatici, singulorum M. libram unam,
Aurantiorum Hispalensium M. uncias viginti.

MISCE, &, postquam faeces subsederint, effunde, vel cola.

ROB BACCARUM SAMBUCI.

SUCCUS baccarum sambuci defæcatus leni igne inspissetur.

ELATERIUM.

CUCUMERES agrestes maturos scinde, & succum levissimè expressum trajice per setaceum tenuissimum in vas vitreatum; deinde per aliquot horas sepone, donec crassiorem partem deposuerit. Pars tenuior supernatans effundatur

tur